EDINBVRGI
Excudebat Robertus Char.

VIRO

Eximiæ pietatis & prudentiæ

DAVIDI WILIAMSONO

CIVI OPTIMO, DE REP. ACADEMIA EDINBVRGENA, ET BONARVM LITERARVM STVDIOSIS BENE MERITO.

HAS THESES

HONORIS, AMORIS, ET GRATITVDINIS

ERGO

D C Q.

Alexander Stevvart.
Alexander Thomſon.
Andreas Logan.
Archibaldus Spens.
Carolus Geddes.
David Chrichton.
David Wood.
Guilielmus Scot.
Iacobus Annand.
Iacobus Billie.
Iacobus Brovvn.
Iacobus Chrichton.
Iacobus Dovvgall.
Iacobus Hall.
Iacobus Hopper.
Iacobus Nicolſone.
Iacobus Richie.
Ioannes Aird.
Ioannes Dunbar.
Ioannes Hay.
Ioannes Little.
Ioannes Sandelandis.
Ludouicus Stevvart.
Patricius Henryſon.
Robertus Crait.
Robertus Myſine.

Theſes Logicæ.

SIMILIBVS quibuſcunque poteſt abſtrahi natura & ratio aliqua vna, in quâ fiat eorum quatenus ſimilia ſunt comparatio: qua quidem abſtractio nihil aliud eſt, quàm ex rebus comparatis formalis alicuius conceptus praciſio & formatio.

Cùm igitur omnia quæ ſunt in naturâ rerum in eo conueniant, quòd entia ſint, ſequitur vnum dari conceptum entis formalem a ſuppoſitorum entium rationibus propriis præciſum.

2 *Eorum, quæ non recipiunt eandem definitionem non dicetur vnum altero magis tale. Cap de qualit.*

1 Cùm igitur ſubſtantia etiam nullo intellectu cogitante magis ſit ens quàm accidens, ſequitur Ens naturam quandam ſignificare à ſubſtantia & accidente diuerſam, in qua ſubſtantia & accidens comparentur.

2 Ideoque præter conceptum Entis formalem, alius erit ei reſpondens conceptus obiectiuus, qui nec ſignificet ſubſtantiam, nec accidens, nec deum, nec creaturam, ſed omnia per modum vnius, quatenus nimirum omnia conueniunt in eſſendo, vel quatenus hiſce omnibus conuenit eſſe extra ſuas cauſas, extra tenebras, infinitatem & malum τῷ ἀπλῶς μὴ ὄντος.

3 Vt meritò à Soncinate decedamus, qui vult conceptum obiectiuum Entis non eſſe quid a propriis ſubſtantiæ & accidentis rationibus diſtinctum, ſed diſiunctum hoc *ſubſtantia vel accidens* entis nomine ſignificari.

4 Nec vereamur, quæ rerum hac vniuerſitate comprehenduntur omnia ſynonymôs *Entia* appellare.

3 Relatorum altero mutato alterum reuera conuenire poteſt nihil commutatum. cap. 2. lib. 5 Phyſ.

1 Ad relationem igitur non eſt motus, niſi ex accidenti. Ibid.

2 Ergo ad ſubiectum aliquod accedere poteſt relatio ſine omni eius immutatione & noua compoſitione: vt vel meridianâ luce clarius eſt in iis relationibus, quæ in tempore Deo per creationem acceſſerunt.

3 Relatio igitur non eſt ens reale, ſi ſeorſim ſumatur à fundamento.

4 Cùm igitur relatorum prędicamentum ſit à cæteris diſtinctum; non modis eſſendi & realiter, ſed modis prędicandi duntaxat, diſtinguuntur à ſe inuicem prædicamenta.

4 Materia potentia eſt, forma actus. lib. 2. de Anima, cap. 1.

1 Perfectior igitur eſt forma, quàm materia.

2 Ergo & differentia, quàm genus.

3 Non ſatis igitur conſultò interpretes plerique, vt differentias è recta ſerie prædicamentali eliminent, ſolas completas & perfectas ſubſtantias in rectâ lineâ aiunt collocari.

4 Quin potius illæ ſubſtantiæ (de vniuerſis loquimur) in rectâ ſerie collocandæ ſunt, quæ [illegible] de primis ſubſtantiis prædicantur.

5 Oratio à tempore, tempus à motu, motus à magnitudine, & continuitatem habet, & quantitatem: Locus quantitatis rationem nullam habet quà locus eſt, & ea quam habet non eſt à magnitudine diſtincta. 4. Phyſ. 99. & 113.

Quis nobis vitio vertat, quòd nullam quantitatis ſpeciem agnoſcamus præter multitudinem, in quâ Arithmetica, & magnitudinem, in quâ Geometria occupata eſt.

6 Probatio [illegible] adminiculo principij contradictionis, ex eo quòd ſublatâ concluſione auferatur immediatè aliqua præmiſſarum, colligit efficaciſſimè poſitis præmiſſis etiam concluſionem ponendam, & concedendam; quod nihil aliud eſt, quàm conſequentiam probare.

Quàm igitur cæcutiunt ad Ariſtotelis lucem, qui tam inſulſum, & ſtolidum eum volunt, vt deductione [illegible] ob negatam concluſionem conceſsis præmiſsis, concluſionis veritá-

ritatem & non consequentiæ necessitatem probare velit.

THESES PHYSICÆ.

Essentia rerum, vt numeri, in indiuisibili consistunt, nec intensionis, nec remissionis capaces. Porph. Cap. de different. & 8. Metaph. Text. 10.

1 Rerum igitur naturalium formæ in se sunt indiuisibiles.
2 Earum igitur materia per se est diuisibilis.
3 Ergo & per se quanta est.
4 Vt non sit eadem origo molis rerum naturalium, & limitationis, qua moles continetur & figuratur, sed hæc formæ, illa materiæ, adscribenda.
5 Ergo & forma materiæ & materia formæ extensionem largitur.

2 Resistentia est à forma nitente se conservare.

1 A vacuo igitur nulla est resistentia.
2 Ergo corpus naturale in vacuo positum extra suum locum ad eum moueretur.
3 Vt minuenda sit eorum sententia, qui motum localem nullum in vacuo (si daretur) dari posse asseuerant.

3 Materia vt pluribus specificis formis simul informari nequit, ita nec omnibus omnino formis simul carere potest.

1 Vnâ igitur formâ accedente altera recedit & vnâ euanescente altera suppullulat.
2 Ergo vnius ortus alterius est interitus & contra.
3 Vt non immeritò eadem definitione definiantur ortus & interitus *Mutatio totius.*

4 Accretio mutatio simplex est in quantitate.

1 Termini igitur accretionis sunt quantitates.
2 Non assentimur Zabarellæ, qui accretionis terminum à quo statuit subitam mutationem in substantiam, terminum ad quem ipsam maiorem quantitatem in fine mutationis acquisitam: præsertim cùm vnius mutationis altera terminus esse nequeat. 5. Phys. cap. 2.

5 Sentimus specie ab obiecto recipientes, & receptam iudicantes.

1 In sentiendo igitur, etsi non tempore, naturâ tamen distincta sunt hæc quatuor, actio obiecti in organum, passio organi à

specie

specie recepta, iudicatio speciei receptæ, & per eam obiecti ab anima in organo, quæ supra materiæ conditionem aliquantò se eleuat, & denique iudicij huius receptio in Organo. 2. de Anima. 37. & Metaph. 9. text. 16.

2 Passio itaq; sensus in sentiendo gemina est, actio singularis.

3 Vt meritò dixerit Philosophus, sentire esse quoddam pati.

6 Color mouet pellucidum, ab hoc autem, continuum cum sit, mouetur sensorium. 2. de Anima. 74.

1 Videmus igitur, non emittentes radios, vt volunt Platonici, sed species visibilium recipientes.

2 Quilibet igitur punctus illuminati totum obiectum sibi medium simul illustrabit.

3 Et totum illuminatum pyramidem sui luminis in quolibet puncto medij terminabit.

THESES ASTRONOMICÆ.

Aqua suapte naturâ ad loca terræ fertur decliuora.

A Terra igitur & aqua vnum centrum habent, vnum globum constituunt, contrà quàm perperam sentiunt nonnulli.

2 Circuli in Sphæra maximi bifariã se in punctis oppositis secãt.

1 In Sphærâ igitur, tum rectâ, tum obliquâ, arcus diei æqualis est arcui noctis dum sol permeat æquatorem.

2 Ergo sole æquatorem permeante in quouis terræ tractu dies artificialis par est & æqualis nocti.

3 Cœlum nonum mouetur in longitudinem ad signa consequentia.

Non sunt igitur metienda, nec solstitia, nec æquinoctia, à punctis cardinalibus noni cœli: sic enim, anno labente platonico, æstiuum nostrum esset solstitium sole existente in primo capricorni decimi cœli, cum habet minimam altitudinem meridianam.

4 Octauum Cœlum mouetur in latum versus septentrionem & austrum.

1 Declinat igitur Ecliptica octaui Cœli ab Ecliptica noni & decimi.

4 Non sunt igitur metienda solstitia à primis Cancri & Capricorni decimi vel noni cœli.

THESES ETHICÆ.

Habitus virtutum & vitiorum moralium sunt per quos bene vel malè affecti sumus erga perturbationes, & earum comites, voluptatem & dolorem. Cap. 2. & 4. lib. 2. Ethic.

1 Deformitas igitur & defectus debitę rectitudinis in perturbationibus, in voluptate & dolore, morbus ille est, cui per morum virtutes medetur Ethica.

2 Vt igitur corpus ęgrum se habet ad artem medicam, sic sedes perturbationum, id est, pars ea animę quæ per se irrationalis rationi obtemperat, se habet ad moralem Philosophiam.

3 Ideoque sedes perturbationum subiectum est Ethicæ operationis.

4 Non solùm igitur res illæ externæ, in quibus occupantur virtutes, vt res periculosę, in quibus fortitudo, iucundę, in quibus liberalitas: sed & anima ipsa morali Philosopho consideranda est & cognoscenda.

2 Vt electio & actio bona sit, oportet & rationem veram esse, & appetitum rectum. Cap. 2. lib. 6. Ethic.

1 Homo igitur à lapsu corruptus nec benè eligere potest, nec benè agere.

2 Ergo neque vllam habere potest virtutem veram per naturam.

3 Ergo nec per naturam beatitatis particeps esse potest.

4 Qui igitur beatus esse velit debet ex sese emigrare, ad Deum accedere vnicum fœlicitatis fontem, eique firmis illis cognitionis & amoris vinculis constrictus adhærere.

Problemata.

An Deus *sit in prædicamento statuendus, vel non?*

An detur minimum naturale, vel non?

Sintne in vno viuente plures anima substantialiter distinctæ, vel non?

An voluptas sit summum bonum, vel non?

FINIS.